

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

S E R U O  
JESU CHRISTI  
OMNIBUS PLACENTE:

Quam

Occasione verborum Pauli i Cor. IX: 22, X: 33;  
leui adumbratam penicillo,

*Consensu Ven. Facult Theol.*

PRÆSIDE

ISAACO *BÖRKELUNDI*

S. Theol. Prof. publ. & ord.

*Publicæ bonorum censuræ submittit*

*Auctor & Respondens*

NICOLAUS PERNERUS

Collega Sch. Triu. Was.

*H. L. q. C.*

d. XXV. Junii MDCCXXXVII.

---

ABOÆ, excud. Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ  
Magnæ Fi-  
Reverendissimo Patri

# DN. JONÆ

S. Theologiæ Doctori Celeberrimo, inclitæ Diœce-  
ibidem ProCancellario Magnificentissimo, nec non  
mo, Scholarum per totam

*Maxime Reuerendo atque Amplissimo Domino,*

## Dn. ANDREÆ BERGIO,

S. Theologiæ Doctori & Professori primario, Dia-  
ceseos Aboënsis Archi Præposito Celeberrimo, Ec-  
clesiæ Cathedralis Suecanæ, quæ ibidem est, Antí-  
stiti vigilantissimo, Consistorii Adfessori Grauissimo.

MÆCENATIBUS & PROMO-

**D**Ecantatus ille fauor Vester summus in omnes & singu-  
larius hinc ego, cui eandem benevolentiam Vestram,  
ductus sum, ad contendendum tam fidenter ad Vos, sacre  
tui meo præsidium & Patronos questurus; simulque ad of-  
ficia Vestra innumera atque maxima, que mihi nullo non  
in iis tamen, spero, adspiciatis, Mæcenates Maximi, sere-  
ferentisque mentem deuotissimam, quam alias quaslibet ra-  
no Iesu Christo, cui toti inseruitis, cum adprecatione o-  
qui idem con-  
MAGNORUM NO-

Cultore & clien-  
Nicolao

M:is  
dei VIRO,  
ac Domino,

# FAHLENIO,

Ieos Aboënsis Episcopo Eminentissimo, Academæ  
Venerandi Confistorii Ecclesiastici Præsidi Gravissi-  
Dioecesis Ephoro Adcuratissimo.

*Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino,*

Dn. ISAACO BÖRRÅUND/  
S. Theologiæ Professori Celeberrimo, Ecclesiæ Ca-  
thedralis Fennicæ Pastori longe Dignissimo, Con-  
fistorii Adsestori Grauissimo.

## TORIBUS MAGNIS.

los, minimos quoq; e litterarum alumnos audaces facit. Te.  
Mecenates Maximi, per aliquot annos experiri licuit, ad-  
veritatis Tutores & Propugnatores Cordatissimi, huic fœ-  
ferendum Vobis munera, que mos seculi mibi dedit, ob be-  
tempore præstis. Sint licet ista dona mea chartacea;  
na fronte plus argumenti nobilitatem & excellentiam, of-  
tiones, que nulla sunt. Denique estote Auguſtissimo Domi-  
nis generis felicitatis flagrantissima commendati, ab eo,  
stanter voguebit,

MINUM VESTRORUM

*te deuotissime  
Pernero.*

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo

Dn. NICOLAO ÆIMELÆO,  
Pastori in Ryro majori longe Dignissimo, Patrono  
Æstumatissimo, omniue, qua par est, animi reue-  
rentia ad cineres vsque suspiciendo, amando,

Quo pacto dignas pro insigni Tua, Vir clarissime, in  
me voluntate, grati animi significaciones ederem, hac-  
tenus sepe cogitavi; nec tamen hodie repertum habeo. Be-  
neſi orum enim erga me tuorum ei est magniudo, ut fa-  
ſigium illa inter omnia seruet alia, & verba queuis, me-  
rita tua in me declarantia, superet. Admitte tamen, Vir  
Clarissime, obsequens moribus eui nostri, ut bicce fatus  
meus qualisunque sit optimus deuoti affectus mei apud Te  
interpres, & tanquam obles certissimus, fauoris Tui exo-  
rator & conseruator felicissimus. Si enim animi Tui sa-  
cratior indoles eundem nullis ex aliis rationibus, quam ex  
illustri argumento, quo oceupatur, & ex intentione offeren-  
tis, putare voluerit; possem mibi in ſinu gratulari, me hac-  
tenus deſideratum inueniſſe modum, quo donum hocce &  
me ipsum Tibi gratum ſit re valeam. Certe animum ſemper  
obſtringo meum, ad expetendum a ſummo rerum Moderato-  
re Tibi Tuisque vigorem animi & corporis integerrimum; ut  
tandem bene exanilatis fidorum Seruorum Jeſu Christi labo-  
ribus, Tibi iniunctis, in numero eorundem eternum floreas,  
& instar stellarum splendens!

Nominis TUI Clarissimi

Cu'tor humillimus  
Nicolaus Pernerus,

## Conspectus.

Sectio ~~p~~rior evoluit notionem & ideam serui Christi veram, distinctam & adaequatam.

§. I. Ex variis acceptationibus vocis Seruus eiusdem veram notionem colligit.

§. II. Dominium istud, quod Deo in sensu generali tribuitur in hanc seruos, prorsus plenum & illimitatum esse, a creatione & conseruatione demonstrat.

§. III. Speciali modo Christianos huic dominio per opus redēptionis & regenerationis subiici ostendit.

§. IV. Specialissimum dominium in ministros ecclesie a speciali prouidentia evoluit.

§. V. Hoc pacto dominio Dei subiectos oportere omnes a Deo destinatos & confirmatos esse, euincit.

§. VI. Adseuerat eos oportere fieri & credidisse, propter muneris difficultatem & defectum virium intellectus naturalium.

§. VII. Euincit hinc necessitatem experientie spiritualis.

§. VIII. Eam ex conuersatione quotidiana intimaque cum Deo repetit.

§. IX.

Sectio posterior.

**E**x indole delineati servi Christi, & ex indole consortii eius cum Deo, studium placendi hominibus, tum negatiue, tum positivae enodat.

- §. I.** Negatiue proponit hoc studium in genere.
- §. II.** Enumerat quosdam modos illegitimi studii placendi omnibus.
- §. III.** Continet argumentum positivum generale eiusdem studii.
- §. IV.** Ostendit facilitatem hoc pacto placendi omnibus veris Christianis & regenitis.
- §. V.** Differit de legitimo studio placendi irregentis & impiis, ostenditque eius impossibilitatem, manente repugnantia inclinationum mutua.
- §. VI.** Adducit argumenta, quibus minister ecclesiae obligatur, ad omne studium suum conferendum, ut repugnantia hec auferatur.
- §. VII.** Adtingit studium placendi constitutis in astu temptationum, cum morbis & morte pergnantibus, captiuis, seductoribus & seductis,



I. N. J.

PROLEGOMENA.

§. I.

**H**AUD errauerimus, si in fontes tum incorrupti, tum corrupti status ecclesie inquirentes, plurimos tum in iusta tum peruersa ministrorum molitione fitos esse, pronunciauerimus. Ad prius argumenti momentum quod adtinet, nouimus nihil fere esse, quod animos mortaliū magis adficiat atque moveat, quam magna & nobilia seruorum IESU Christi exempla; qui in doctrina delineandam Christi imaginem, in tota vita & conuersatione sua, eandem auditoribus suis luculentam atque splendidam repræsentant. Hæc cuncta animos auditorum ardore sancto, & quodam quasi contactu haud raro inflammant, eosque non tantum ad eandem imaginem animo concipiendam, verum & vita exprimendam, emulacionem eorum prouocando, excitant. Hæc cursum Christianismi, opinione illorum maxime arduum, iucunde & feliciter confici pos-

<sup>2</sup> se ostendunt; quippe in quo homines, iisdem, quibus ipsis sunt. per se infirmitatibus obnoxios, tantum proœctos vident. Qui igitur ministri Iesu Christi hanc imaginem & in dogmatibus & moribus suis intemeratam publico omnium conspectui sustunt; non tantum faciem Christianismi nitidam & sinceram efficiunt, sed etiam honorem & existimationem ministerii, a Deo ipsis destinatam 1. Tim. V. 17. apud oranes conseruant. Quod quantæ sit necessitatis in functionibus sacris recte observandis, patet inter alia ex historia primitiæ ecclesiæ,

## § II.

**P**osterioris momenti veritas in argumento sua radiat luce. Cum enim in contrariam ministeriorum res abducuntur partem, neque iusta adhibetur cura & prouida circumspectio in educandis adolescentibus in usum huius ministerii, in moribus ipsorum formandis, in studiis & exercitationibus instituendis, nec in dotibus præstantioribus eligendis; hinc contrarios & peruersos etiam produci viderimus fructus, tam existimationi ministerii, quam ædificationi Christianismi detrimento natos. Quem enim in quodcum seruos Iesu Christi fideles, dexteritate ingenii & integritate vitae ornatos, non tantum addidisse Christianismo incrementa maxima, sed etiam auxisse bonam existimationis suæ famam, *historia nos docet: ita ministros rudes huc diaconiæ*

πτερυγαλο', sordidos, leues, fuitiles & varios in omni vita sua, vel faltem leuiter & humili gradu imaginem virtutum pingentes, ea, quæ doctrina extenuere conantur, ignominia vitæ destruxisse, vel multitudinem ad mediocre & tepidum virtutum studium, h. e. externam qualemcunque honestatem, traxisse videmus. Neque hæ peruersæ ministrorum res hoc incommodo solam multitudinem affecterunt, sed id detrimenti ipsi existimationi ministerii intulerunt, ut nobilioribus prædicti doribus hoc munus personis suis indignum, quod suscipiant, opinentur: quippe qui spem præstantioris, ex mente sua, vitæ generis sibi facere possunt. Plurimum itaque mali, quo Christianismus hodie premitur, ipsamque contentionem ministerii a nostro ipolorum ordine haud minimam partem emanare videamus, ut in conscientiis conuicti non pauci grauissima prophetæ increpatione confundantur: *At vos recessistis a via, fecistis ut impingerent multi in legem; corrupistis fedus leuiticum, dicit Jehoua Zebaoth: ideo etiam ego reddidi vos contentos & abiectos toti populo.* Malach. II; 8, 9.

### §. III.

**H**ec sunt B. L. incitamenta, quibus, specimen quoddam in sacris litteris editurus, adductus sum ad adumbrandum Servum JEsu Christi omnibus placentem. Quid enim magis necessarium est, quam ut veram, distinctam & adæquatam ideam

<sup>4</sup> serui JESU Christi nobis perspectam habeamus? Huius excellentis doctrinæ & vitæ integritatis iusta contemplatio nos merito prouocabit omnes, ad incumbendum dies noctesque in res sacras pio atque constanti desiderio; ad conferendum eo consilia, dicta & facta nostra singula, ut felicem laboribus nostris successum adquiramus, non detrahamus & dignitatem ministerii primæuam recuperemus, non extenuemus. Licet vel hæc, ut optima alia consilia sæpe, in irritum cadere, & sanctissimi conatus exspectationem frustrari aliquando videantur: quippe quem euentum & ipse Saluator experiri coactus est: participabunt tamen pro suo modulo omnes veri JESU Christi serui hoc testimonium conscientiæ: *Etsi frustra laborauimus, & in vanum ac inutiliter vires nostras consumsimus: iudicium tamen nostrum apud Iehovam est, & opus nostrum penes Deum nostrum;* & licet Israël non congregetur, gloriost tamen sumus in oculis Iehovæ, & Deus noster robur nostrum est. *EJAI. XLIX: 4, 5.*

## SECTIO PRIOR.

### §. I.

**A**vo nostro receptum ut sequamur morem, eruenda est ante omnia vera notio, aut idea serui JESU Christi, vel quid voce seruus denotatum velimus. Cum vero vox seruus variis acceptcionibus sit obnoxia, easdem producere & ex iis veram notionem colligere iuvat, seruus itaque (10) & generatim sumtus de-  
notat

5

notat libertate destitutum , qui dominio alieno sub-  
iicitur , quo pacto omnis creatura , etiam irratio-  
nalis est serua Dei. Psal. CIV. 4. CXIX: 91. (2:0)  
Speciatim & stricte eum , qui aliis labore quois  
seruit , neque habet ius de rebus pro arbitrio suo ,  
sed alieno , constituendi , qualis est vel pretio em-  
tus , vel bello captus , vel contraatu , seu officii sui  
locatione adscitus . (3:0) Hæc stricta acceptio vocis  
seruus , translate sumta , dispescitur in licitam & il-  
licitam seruitutem . Hæc respicit illos , qui seruiunt  
diabolo , aut subiiciendo se se dominio peccati , Joh.  
VIII. 3. 4. Rom. VI: 16. aut speciatim obtempe-  
rando hominibus in rebus iniustis & cum verbo Dei  
pugnantibus . Tit. III: 3. 1. Cor. VII: 23. Illa con-  
tra est vel eorum , qui aliis hominibus vi contra-  
ctus ad præscriptum diuinum seruiunt . Col. III: 22,  
23, 24, 25. Eph. VI: 5, 6, 7, 8. vel eorum , qui  
soli Deo seruitium præstant , quod triplici solet po-  
tissimum fieri modo . (4) Sacerdotes & Prophetæ  
V. testamenti Deut. XXXIV: 5. Jos I: 2. Apoc. X:  
7. Euangelistæ , Apostoli & omnes verbi ministri  
N. testamenti , Act. XVI. 17. Phil. I: 1. 2. Tim. II: 2, 4.  
vocantur serui Dei , quippe per quos Deus agit cum  
hominibus , tanquam per legatos & vicarios suos .  
Sic ipse Filius Dei fuit seruus Dei . Et . XLII: 1.  
XLIII: 10. XLIX: 6. LII: 13. Cum vero Paulus se  
vno loco seruum Dei , alio Christi vocat , indiffe-  
renter ad totam S. Sandam Trinitatem refert , quia

Apo-

Apostolatus eius commune totius Trinitatis opus est, et si  $\alpha\beta'$  Χριστος seruus IESU adpelletur: a Christo enim immediate vocatus est, Act. IX: 3. (b) Seruus est communis omnium piorum honoris titulus, qui internum & externum Deo offerunt cultum, idque hilari animo absque coactione, ad prescriptum verbi Diuini, Luc. II: 29 Rom. VI: 17, 18. (c) Hypocritarum, qui Deo nondum quidem reconciliati, sacra tamen ex debito faciunt externa; sed sine spiritu & fide teruiunt Deo in vetustate litterae. Rom. VII: 6 Esa. XLII: 19. Ne quid dicamus de magistratu, qui in iure dicundo ministerium Deo praestat, Rom. XIII: 4. 6. Hacce acceptio-nes vocis seruus, ex Celeb. Stockii Clave N. testamenti, & commentario D. Frid. Balduini, atque Petri Rauanelli Bibliotheca Sacra, erutas, & in veritate sacra fundatas, vberius declarare ratio instituti verat. Lubet iam ex istis locis, quibus Apostoli sese aliosque fidos verbi ministros nomine servorum IESU Christi adpellant, veram vocis notio-nem eligere. Illa autem eadem necesse ipsis erat, quam Romanis aliisque esse, quibus hac inscriptio-ne litteras suas mittendas curarunt, certi nouerunt. Alioqui surdis viderentur cecinisse: quod de ipsis pronunciare, religio est bonis. Romanis autem pariter ac aliis ea erat terui notio, qua is designabatur, qui in dominio erat aliorum. Hinc sequitur, vt Paulus, adscribendo sibi aliisque verbi ministris nomen

7

nomen serui IESU Christi, adseueret se, & omnes eodem munere rite fungentes, esse dominio IESU seu totius S. Sanctæ Trinitatis subiectos. Ministris itaque ecclesiæ adscribi debent omnes eæ acceptiones lerui, in quibus S. Scriptura omnibus creaturis vel generalem, vel Christianis specialem, vel etiam ipsis seruitutem quandam iniungit specialissimam. Hicce omnibus rite intelligendis & distinguendis sequentia lucem dabunt clariorem.

§. II.

**R**em itaque paulo altius repetendam & examinandam adgercentes, dominium, quod Deo in hæc seruos suos in sensu generali tribuitur, prorsus plenum & illimitatum esse, a creatione & conseruatione demonstrabimus. Auctoritate S. Scripturæ constat, Deum ex nihilo, in primo creationis actu, sine omni coactione & indigentia, non tantum res creatas produxisse omnes; verum etiam in ordine semel constituto easdem conseruare, & dare omnibus vitam & inspirationem, sive halitum & omnia. Act. XVII: 24, 25. Res quippe quæcumque a Deo creatæ, per se, aut propria virtute suam existentiam minime continuare possunt, nec eis competit potentia aut facultas sui conseruatrix; sed Deo auctori hæc omnia tribuenda, cuius opere conseruationis cessante, res omnes creatæ in nihilum redigerentur. Act. XVII. 26, 28. Job. XXXIV: 13, 14, 15. XXXVIII. 25, 26, 27. Deo igitur soli vt pote auctori & sus- tenta.

tentatori omnium , competit hinc dominium plenum & illimitatum in omnes res creatas , quæ vel in prima creatione iam productæ sunt , vel hodie demum , quomodocunque per naturam producuntur . Idque , vt non modo de ipsis rebus , sed de mutuis etiam earum usibus , qui naturæ opera præstantur , & ad mutuam earum perfectionem augendam conducunt , pro arbitrio suo sanctissimo decernere possit . Eequid enim est siue in actu conservationis , siue creationis , quod Deo hoc dominium in res quascumque creatas adimere , & in aliud quemuis eandem deriuare possit facultatem ? Nonne potius in hisce artibus testimonia reperies euidentissima , quæ hoc Deo in sommo gradu tribuendum adfirmant ? In humanis enim agnoscimus omnes , artifici competere plenum operis sui dominium , quod ex materia aliqua pro libertate animi fecit , vt de ipso opere , & eius usibus ex arbitrio suo statuere possit . Quia nullam videmus rationem , cur hoc dominium alii vlti potiori tribuendum sit iure . Si hoc de artifice dicendum , quanto magis de Deo ? Dicitis hisce addet S. Scriptura pondus , vtens hac ipsa similitudine in argumento de pleno & illimitato dominio diuino in res creatas , h. e. de iure constituendi pro arbitrio suo liberrimo de earum natura , & de usibus , quomodocunque ex ea resultantibus . Esa . XXIX: 16 . XLV: 9 . LXIV: 8 . Jer. XVIII: 6 . Rom. IX: 29; 21:

## §. III.

**A**ugustissimo huic dominio Dei, respectu Christianorum, speciem cumulum addit opus redēptionis & regenerationis. Luce enim reuelationis & rationis recte vtentes, vidimus Deum pollere dominio in nosmet ipsos plenissimo. Cuius vi obstringimur compone-re tam internos animi nostri motus, quam exter-nas quasuis actiones ad voluntatem eius sanctissi-mam. Experientia vero docet, naturales vires no-stras ad hoc rite præstandum minime sufficere; sed eo inclinare omnes, ut prauis affectibus abrepti, iugum dominii Dei excutiamus, & iis habenas tra-damus laxissimas. Quoties dictamen conscientiæ no-stræ huius erroris nos conuincit grauissimi, toties videmus nos præcipiti cursu in perniciem ruere, & eo grauiores pœnas nos manere, quo plenius do-minium diuinum in nos esse scimus. Rom. II: 15. Hinc malam, impuram & mordacem conscientiam, iusto Dei iudicio, semper circumferre cogimur, Tit. I: 15. Ebr. X: 22 quæ non tantum huius status no-stræ miserrimi nos commonefacit; verum etiam de gratiæ diuinæ, speciatim intellectus illuminandi, & voluntatis insigniter emendandæ & immutandæ summa necessitate conuincit. Oblato igitur nobis be-neficio redēptionis & regenerationis, quo Deus iugum huius dominii sui commodum atque suauissi-mum, & onus, quod carni corruptiæ portatu dif-ficile ac plane impossibile videtur, leue & possibi-

le nobis reddere vult, Matth. XI: 30. nihil deest, quo minus agnoscamus rationes adesse iustissimas, quibus speciali modo obligamur omnes, qui a Christo noimen iure traximus, ad subiiciendum nos huic dominio diuino. Non enim minus, immo maius dixerim, est beneficium Dei, quod nos a captiuitate satanæ liberauit, & in regeneratione gratiæ viribus, ad legem suam seruandam, instructos voluit, quam quod nos creauit. Quanto igitur carius pretium est, quo redemti & in hoc statu collocauti sumus felicissimo, tanto maius esse dominium Dei in nos, ipsa res indicat, adprobante hoc revelatione. Eph. II: 10. Rom. XIV: 9. 1. Joh. II: 8. Tit. II: 14. Ebr. II: 2, 3. Ut autem ex indole & natura fœderis gratiæ unusquisque sciat, se speciali modo esse in dominio Dei, gratia regenerans ob oculos ponit luculentissime. Per hanc enim non tantum ingressus ipsis in hoc fœdus conceditur, & voluntas ad acceptanda beneficia Dei, ex munieris ipsis oblati æstimatione, concitatur: verum etiam ea voluntatis, fide gratiam amplectentis, efficitur mutatio, ut tota sit prona & propensa ad actiones suas determinandas secundum voluntatem Dei. Hinc etiam quam maxime sese oblectant manere sub dominio Dei paterno; non ut in statu seruitutis præfractorum, sed ut in statu filiorum Dei beatissimo simul viuentes, Plal. CXIX: 16, 24, 40, 47. neque possunt, quin omni studio actione-

actiones suas omnes voluntati diuinæ conformes redere conentur. 1. Joh. III: 9. Col. I: 9, 10.

§. IV.

**F**estigium huic dominio diuino in ministros ecclesie imponeit specialissima Dei prouidentia, qua ab æterno eos huic muneri quasi destinauit; ac deinceps ex prima natuitate & in toto vite progressu idem reddit; & denique in ministerium suum adsciscit. Sermo igitur noster hic erit de ista, a superioris indicatis distincta, obligatione, quæ fluit e singulari Dei, & ab æterno facta eorum destinatione ad hoc munus; & e singulari Dei cura circa eorum generationem, natuitatem totumque vitæ cursum, qua hōfce destinatos præparat ad munus suum rite olim administrandum, eique admonuet. Adsertum hocce probatum ibimus ex generali Dei prouida cura ante, circa & post omnium vitæ ingressum. Si enim Deo, ab æterno, respectu omniscienciarum, sunt notissimæ omnium existentiarum & qualitates, Psal. CXXXIX: 16, si in generatione & natuitate eosdem voluit necessariis naturæ donis, & membris apte fabricatis, ad munera ipsis natura destinata rite obeunda, instructos esse, Job. X: 8 -- 18, Psal. XXII: 10, 11. Judic. XIII: totum, si denique ipsi tantæ est curæ directio totius vitæ eorum, Jer. X: 23, quanto magis hæc, in hisce & aliis circumstantiis, exhibebit se circa eos operosissimam, quos in omnisciencia sua ecclesiæ præficiendos decreuit? Hinc etiam ista

S. Scripturæ effata, quibus dicitur Deus admirando consilio segregasse ministros suos inde ab utero matris ad hoc munus, Jer. I: 5 Gal. I: 15. Rom. I: 1 & segregatos, per totam vitam eorum, idoneos facere, 2 Cor. V: 18, 19, 20. Matth. X: 20. Luc. XXI: 15. 2 Cor. III: 5, 6. recte ad omnes ecclesiæ ministros adplicantur. Cfr. Ioh. Lud Hartmanni Pastorale, pag. 29. § 19. Quam arcte hæc destinatio & præparatio diuina ministros ecclesiæ obliget, ad subiiciendum se dominio Dei, præter alias rationes, quas vel cum omnibus generales, vel speciales habent, rem penitus examinanti obscurum esse nequit. Quid? quod & ratio dicitat, regum etiam sæcularium ministros, magnis functionibus destinatos & præfectos, arctiori vinculo subiectos esse dominio suorum regum atque principum, quam quos lex generalis sola obligat, quanto magis hoc de domino Dei concludi potest & debet, qui absolute & *καὶ ἔχειν* dominus est & manet?

Ex dictis iam cuiuis clare innotescit, quam multis Christus adquisierit modis dominium hocce plane illimitatum, quod Paulus & omnes veri eius conserui 1. Cor. IV: 1, 2 Christo, sive toti S. Sanctæ Trinitati, in le tribuendum, lubentes agnoscunt. Pari manifestum est modo, qvod Paulus & alii voce seruas Romanis aliisque in memoriam reuocare voluerint, se esse huic dominio IESU Christi plenissimo subiectos, & consequenter ei soli compete-

re ius, pro arbitrio suo sanctissimo, statuendi de ipsis, de ipsis actionibus, & de toto eorum vitæ genere. Et iuxta profitentur Christum hæc omnia summis iure facere posse, vt nec ipsi, neque alii ullam habeant rationem contradicendi. *Dominum enim tam Romanis*, quam aliis est ius de re aliqua constituendi pro arbitrio. *Ius autem est facultas agendi moralis*, qua non modo quis facit quod vult, verum etiam legitime idem facere potest.

§. V.

**N**emini itaque, qui hoc modo in ministerio ecclesiastico vult esse seruus Iesu Christi, competit aliquod ius, pro arbitrio & indicio suo eligendi sibi hoc vite genus; sed oportet eum a Christo non solum ad hoc destinatum & eleatum, verum etiam de destinatione hæc coniunctum confirmatumque esse Propositionem stabiliter nostram S. Scriptura, partim imponendo omnibus, vt per preces ardentissimas experant a Deo ipso, in omniscientia sua destinatorum ministrorum & missionem & numerum sufficientem, Matth. IX: 37, 38. electionem & instructionem, Act. I: 24. XIII: 2, 3. fructum & efficaciam, Eph. VI: 19 partim vindicando Deo solidi hoc ius destinandi, Ebr. V: 4. nam etsi principaliiter hic locus accipiatur de vocatione immidata, in V. Testamento ut plurimum visitata, & ad plantandam ecclesiam N. Testamenti adhibita: iure tamen de honore ministris in genere a Deo destinato intelligitur. Vocatio enim, destinatio, elec-

ctio

etio & missio in sacris litteris promiscue & de re eadem adhibentur. Vide Hartmanni Past. pag. 29. Partim etiam improbando & damnando eos, qui proprio motu, lucri causa, turpem ambientes quæstum, 1. Tim. III: 3. minime vero ex destinatione diuina, sibi hunc sumunt honorem. Jer. XXIII: 21. XIV: 14, 15. XXIX: 9. XXVII: 9, 10, 14, 15.

Quomodo autem Deus aliquem huic ministerio ab se destinatum esse, interne conuincat, exponendum iam est. Olim per immediatam, ut dictum, vocationem hoc Deus saepius praestitit: hodie vero per mediataam tantum. Mediate dicimus Deum de destinatione sua interne conuincere, cum quis secundum normam verbi diuini, quod adcurate describit requisita & γνωσιουατα veri ministri, explorat tum dona sua naturalia, tum spiritualia. Ratione quidem illorum, si ea praeditus sit corporis valetudine, eloquio, aliisque requisitis, quæ hoc munus arduum postulat. Si ratione iudicii ea polleat facultate res sacras discernendi, veritatem a mendacio distinguendi, principia ex sacris rite constitueri & conclusiones veritati contentaneas inde derivandi, quæ ministro in sacris delineato necessaria est. Si eo gaudeat ingenii acumine componendi veras ideas & imagines rerum, compositas non minus luculento ordine, quam cum parrhesia decente omnibus proponendi, & ab aliis propositas rite percipiendi, quod sacra scriptura & indoles officii requirunt

runt. Si denique ipsi sit is valor memoriae, ut ideas rerum antea perceptas consideratasque, quoties iisdem opus est praetentes habere queat. Respectu vero donorum spiritualium, quae vel ministrantia, vel sanctificantia dici solent, prudens exploratio utramque facit paginam, si quis, ad ministerium spiritus se a Deo destinatum esse, scire voluerit. Oportet enim eum non minus instructum esse donis sanctificantibus, quae omnibus regenitis communia sunt, & sanctificationem quotidie promouent; quam ministrantibus, quae etiam omnibus a natura diuerso licet gradu, communia esse videmus; in regenitis tamen per diuinam gratiam sanctificata & ad usum directa legitimum, S. Scriptura & experientia testatur. Dicimus non minus necessariam esse explorationem donorum sanctificantium, quam administrantium. Horum quippe quedam ita comparata sunt, ut sine illis locum habere, vel per exercitationem, consuetudinem aliasque caussas externas, ad finem ministerii obtinendum, dirigi nequeant: sed Spiritus Sancti in omnibus regenitis gratiam habitantem supponant. Illa sunt, respectu virtutum intellectualium, sapientia & prudentia spiritualis 1. Cor. II: 9. - 16. 1. Joh. IV: 1, & respectu virtutum moralium ista omnia, quae in regenitis promiscue promouendo sacerdotio spirituali, & in ministris specialiter emolumento ecclesiae inferuiunt. 1. Pet. II: 9. 1. Tim. III: 2. - 7. vide Budd.

Thos

Th. Mor. pag. 642. Si quis igitur, hæc & alia dona sua, adiunctis precibus, secundum verbi Dei normam explorans, neque aliis, in sacris versatissimis viris, se explorandum præbere detrectans, iisdem non plane destitutum fese viderit; sed in hisce omnibus aderelendi flagrare desiderio, & plurimum eo inclinari, vt aliquando ecclesiæ Dei totus inseruiat: certus is scire potest, se a Deo ministerio sacro destinatum esse. Nam hæc inclinatio & propensio, quam S. Spiritus, mediante verbo, in examinandis viribus nostris ad eiusdem verbi normam, excitat in corde nostro, est illa vocatio, quæ interior vocari solet, animosque muneri sacro destinatorum de decreto diuino interne conuincit. Atque hanc vocationem recte definiunt Theologi per instinctum, impulsum aut tractum diuinum, cuius ope quisque verus minister destinationis Dei sibi conscientius fit: seu per bonum cordis testimonium, quod neque ambitione, neque auaritia, neque illa alia cupiditate, sed sincere obtemperando tractui diuino, & studendo ecclesiæ emolumento, munus sacrum, si quando offeratur, incoactus suscipiat. Neque hoc tantum interiori modo Christus seruos suos de destinatione sua certiores reddit; verum etiam ecclesiam, sponsam suam, commouet, vt ad curam animalium suarum, præ ceteris omnibus, destinatos hosce seruos desideret: & ad uberiorius confirmandum corda eorum de veritate huius destinatiōnis

onis vere diuinæ, ita dirigit rem, vt illa per exteri-  
nam seu ordinariam vocationem muneri docendi  
eos admoveat. Contr. D. Tarnovii Libr. de ministe-  
rio Eccl. pag. 63, 64, 65, 66. D. Budd, Isag. pag. 45.  
\*\*\* Fechtii Instruct. Past. pag. II. §. 3.

### §. VI.

**O**portet igitur, vt omnes, qui se convicti sunt, se ministe-  
rio ecclesiastico destinatos & quisi separatos esse, etiam  
per experientiam spiritualem credidantur siant; si animus mode-  
stus ipsis, rite administrare munus suum prout jus ejus omnes  
veros Jesu Christi servos arctissime obligat. Assertionis  
hujus veritas vt eo clarior luceat, ostendendum in-  
primis, quomodo facultates intellectus naturales, per  
exercitationem, consuetudinem aliasq; causas exter-  
nas in usum directæ, huic muneri non sufficiant; vt  
cuiusdem demum ex defectu harum pateat necessitas ex-  
perientiae spiritualis aboluta. Ex S. Scriptura, quæ  
est unica regula huius ministerii, 2. Tim. III; 15, 16.  
continetque suo ambitu vel quasdam historias, vel  
præcepta vitæ, vel etiam dogmata fidei, possunt fa-  
cultates intellectus naturales veritates plurimas erue-  
re, quæ multum in hoc officio faciunt, non tamen ad  
obtinendum, ex omni parte, finem, a Deo intentum  
sufficiunt. Quod itaque I; o attinet ad historias, in  
S. Scriptura occurrentes, experientia testatur, nos  
posse per vires naturæ intellectuales nobis compara-  
re non tantum contentum, veramque ideam earum,  
& aliis eam perspicue proponere; verum etiam ex e-

C

viden-

uidentia testimoniorum, harumque cum alijs historiis congruentia, de veritate earum nosmet ipsos aliosque conuincere. eatenus tamen, qua historia sacra eiusmodi innititur fundamentis, quæ & alii libri historici, ab hominibus compositi, habent. 2:0 De præceptis vitæ, in S. Scriptura contentis, in tantum nobis veras ideas, ope naturæ, adquirere possumus, in quantum lumen naturæ eadem proponit & ad obseruandum obligat: vel in quantum ea ex consideratione essentiæ, & adtributorum diuinorum, in opere creationis & conseruationis reuelatorum, profluere videmus. Quatenus autem hæc præcepta, respecu redencionis, originem trahunt suam ex iolla reuelatione, eatenus vires intellectus naturales defectum suum produnt maximum; quippe quæ his, cetero-quin plane ignotis vitæ regulis, nullam vident adesse rationem, præbendi ad senium suum; sed potius voluntas ab obseruandis iis plane abhorret. Cum autem hæc præcepta innitantur fundamento dogmatum fidei de Christo, eius persona, officiis, & de omnibus iis, quæ induulso nexu inde emanant, patebit impotentia virium in illis naturalium ex horum consideratione. 3:0 Vires intellectus naturales possunt ex literis, verbis, vocibus, phrasibus & periodis S. Scripturæ dogmata porro fidei percipere, & quendam sensum eorum sibi comparare, modo sint mediis hermeneuticis externis instructæ. Sed vltis eorundem dogmatum, & adcommodatio spiritualis ipsas plane fugi-

fugiunt, 1. Cor. II: 14. 2. Cor. III: 15, 16. usus enim hic & adcommodatio spiritualis ita se habent, ut non cognitione literali nuda, sed ea quæ experientia spirituali a verbo diuino imbibitur, vere intelligibiles fieri queant. Quemadmodum nec rerum omnium naturalium usum & admodumationem, nisi experiendo, perspicere possumus. Quis enim, qui nunquam aliquid dulcis aut amari gustauit, ex aliorum descriptionibus convenientem dulcis, vel amari, conceptum sibi formare posset? aut scire, quem usum dulce, aut amarum in cibis habeat? quis medicorum usum & admodumationē singulorum simplicium, in arte medica visitatorum, perspicere poterit, nisi experientia tam horum naturam, quam usum docuerit? Impossibile est etiam illi, qui oculis captus nascitur, ex nuda descriptione, aliorum ore prolatā, adæquatam ideam colorū eruere, ut in conceptibus mentibus scire possit, quid distincte sit color purpureus, cæruleus etc. Ut, inquam, verba humana non sufficiunt, ad has, & alias eiusmodi res naturales, rite describendas, vel ad iustos nobis earum conceptus formandos, multo minus ad vias earundem percipientes; ita & longe impossibilis est nobis, per vires intellectus naturales, comparare conceptus vere competentes & adæquatos rerum spiritualium, quamquam historicam rerum connexionem ex litera textus sacri hauriamus: multo minus earum vias & admodumationem rite & ex mente Dei, ad no-

stram aliorumque salutem dirigere posse, nisi accedat experientia spiritualis. Nam omnia ea, quæ in dogmatibus fidei, internæ experientiæ, & operacionibus Domini Spiritus, in animabus hominum, adscribuntur, captum intellectus naturalis plane superant. Illa sunt quæ S. Scriptura proponit de fide in Christum, de saluifica & sufficienti cognitione Dei, de interna conversatione cum Deo, de eius habitatione in fidelibus, de iustitia, pace & gaudio in Sancto Spiritu. In summa: quidquid Deus efficit in illuminatione, in regeneratione, in iustificatione, in adoptione in numerum filiorum suorum, huiusque ob-signatione &c. Hæ enim sunt res, quas Theologi stricte spirituales vocant, quæue constituunt usum & accommodationem omnium dogmatum fidei, & per experientiam spiritualem vere intelligibiles fiunt. Non equidem negamus, quatenus hæ res in litteris S. Scripturæ continentur, nos posse per vires intellectus naturales, ut dictum, quandam conceptum harum rerum, sed quasi superficiarium tantum, captuique nostro maxime arridentem, nobis formare, ut sciamus aliquid boni, iucundi & utilis in verbis S. Scripturæ exprimi & repræsentari. Plenum autem & distinctum conceptum horum, non nisi experientia dare potest, dum homo in ipso actu harum rerum bonitatem, dulcedinem & utilitatem experitur, Psal. XXXIV: 9. Experientiam vero hic intelligimus, non immediatam

diatam & contradistinctam scripturæ, sed mediata-  
tam & subordinatam, quum quis vere experitur  
ea, quæ in verbo sunt scripta, sive quum veritas  
reuelata vim suam viuidam ac spiritualem in ani-  
mo explicat, eamque altius impressam animus re-  
cipit. Adeoque experientiæ omnis norma erit scri-  
ptura diuina, ad quam ceu lapidem lydium omnis  
sensus experimentalis est exigendus. Verum scri-  
ptura Sacra arctissime coniungit veram notitiam  
cum experientia, Joh. VII: 16, 17. 1. Pet. II: 2-3.  
Psal. XXXIV: 9 Phil. I: 9 Ebr. VI: 4, 5. quip-  
pe quæ corda hominum adeo stabilit, ut certo sci-  
ant, se non habere nudam imaginationem rerum,  
sed veritatem, ex omni parte infallibilem.

Hoc idem argumentum vberius explicatum in-  
uenies in Johannis Gust. Reinbeck Fünf- und dreyssigste  
Betrachtung über die Augspurgische Confession,  
Tomo sec. §. 16, 17, &c.

### §. VII.

**H**oc itaque pacto Servus JESU Christi, perspectus viri-  
um intellectus sui naturalium morbis grauissimis, ma-  
ximaque imperfectione, deprehendit una luculenter me-  
ram eorum abominationem, in formandis sibi concepibus & Spi-  
ritus, & in dirigendis eorundem conceptuum res-  
ibus & adcommunionibus, in suam aliorumque sa-  
lutem. nihil minus ramen sibi conscient est, Deum hec  
summo iure ab ipso requirere, quippe quæ utramque faci-  
unt pugnare in officio sibi destinato. absolutam ut que si-  
mult

mul videt necessitatem experientia spiritualis, per quam o-  
mnia probans, discussiens & dijudicans, tandem agnoscere potest, que sit voluntas Dei bona, accepta & perfe-  
cta in singulis casibus sibi occurrentibus. Rom. XII: 2 Eph.  
V: 10, 17. Experiendo igitur Seruus IESu Christi a-  
ptus ministerio suo reddi cupiens, primum huius  
gradum deprehendit in conuersione & regeneratione. In his enim actibus videt, S. Spiritum ope-  
rari tam in intellectu, quam voluntate sua superna-  
turalem quandam immutationem: ut in intellectu,  
qui antea stultitiae & tenebrarum seruus erat, de-  
prehendat sapientiam & lucem, Eph. V: 8. in vo-  
luntate, quæ antea tota propensa erat ad inservi-  
endum operibus satanæ in peccatis quibusuis, pro-  
nitatem subiiciendi se totam seruituti Dei. Patet  
quidem ex ipsa illuminationis voce, eiusque syn-  
onymis, eam præcipue in intellectu suas agere  
vices; ipsa etiam res docet huius quandam partem  
præcedere regenerationem, quæ gratia præueniens  
vocatur, & partim misericordiam hominis, partim sa-  
lutem omnibus oblatam manifestat, eoque per con-  
versionem ad statum gratiæ eum vocare studet. Ve-  
rum tamen illuminatio *ναλ̄ εξοχὴν*, & stilo Scriptu-  
ræ sic dicta, emendationem voluntatis, in regene-  
ratione productam, semper includit, Eph. V: 14.  
2. Cor. III: 14, 15, 16, 2. Tim. II: 25. Joh. VII: 17.  
Cumque nullam aliam viam ministro ecclesiæ præ-  
scriptam inueniamus, in qua experiendo lux fie-

ri queat in Domino, quam qua radii cœlestis flam-  
mæ tam in intellectu, quam voluntate incendun-  
tur, Tit. I: 1. 1 Tim. VI: 3. Joh. XIII: 17. hanc  
illuminationem, quam reuelatio cum emendatione  
voluntatis coniunctam, agnoscit, ministro ecclesiæ  
eo majori iure necessariam iudicamus, quo magis  
arcnarum veritatum enodatio ipsi in officio incum-  
bit, secundum arbitrium Dei sanctissimum, ad ea  
peragenda, quæ ex illuminatione. quæ solum a-  
ctiva vocari solet, minime sequuntur, ut ex præ-  
cedenti §. intelligere licet. Secundus gradus huius  
experiencie spiritualis, quanta se commendet utilita-  
te ministro ecclesiæ, ex actu iustificationis per fi-  
dem manifestum est. Impossibile enim est ipsi, ni-  
si reuera expertus sit indolem & naturam huius a-  
ctus gratiosissimi, rite & sufficienter decantare ad-  
mirandam misericordiam pariter ac iustitiam diui-  
nam, quibus se Deus in hoc actu notissimum o-  
mnibus iustificatis sistit, Rom. III: 26. Eph. I: 6. Im-  
mo neque euitari potest, quin minister inexpertus  
huius gratiae, indulgendo vitiis suis, salutem in hoc  
actu exhibendam, sibi aliisque frustra persuadeat,  
Rom. VIII: 1, 2. & hanc salutarem doctrinam, cor-  
rupta genuina notione fidei, in summe deploran-  
dam argumentum securitatis carnalis peruerat. O-  
portet igitur seruum IESU Christi esse expertissi-  
mum huius actus, vt iustos conceptus de ipso a-  
ctu eiusque effectibus, seu de adoptione filiorum

Dei

Dei, Joh. I: 12. de vnione cum Deo mystica,  
 Joh. XIV: 23 XV: 4. de pace conscientiæ, Rom.  
 V: 1, 2. de exauditione precum Jac. V: 14,  
 15, 16. de sanctificatione, Rom. VI: 1, 2. de sa-  
 lute æterna, Tit. III: 7. experiendo sibi ipsi for-  
 met, quo eosdem ex mente Dei, non sua, sine  
 periculo erroris, & cum conuictione animi interna  
 aliis dare queat omnibus. Paulus designando pri-  
 mum ac maxime necessarium œconomi requisitum  
 fidem 1. Cor. IV: 2. non exclusam vult prudentiam,  
 quæ experiendo adquiritur, quam Christus distincte  
 addit. Luc. XII: 42.

### § VIII.

**I**cet Seruus JESU Christi experimento horum graduum  
 didicerit, quo pacto usum & accommodationem omni-  
 um articulorum sciei in suam aliorumque salutem conuer-  
 tat: incrementa tamq[ue] & virtutibus intellectualibus &  
 moralibus indies addere debet, Eph. I: 17, 18, 19, III: 16,  
 17, 18, 19. Col. I: 9, 10, 11. 2. Pet. III: 18. quippe quem ni-  
 bil unquam rel loqui, rel face o decet, quod non ad ar-  
 bitrium Dei fieri adprime sciat. Hanc autem prouidam  
 circumspectionem, quotidie summe necessariam, ex conuer-  
 satiōne quotidiana intimaque cum Deo, experiendo consequit  
 potest, per quam p[ro]enius tandem lux sit in Domino, radi-  
 os tum virtutum intellectuallium tum moralium ex se late  
 quotidie spargens, Phil. II: 15. Nemo iure negauerit,  
 seruum JESU Christi, qui sic experiendo delectatio-  
 nem sibi in attributis diuinis iam adquisiuit, idone-  
 um

um esse ad habendam conuersationem & conforti-  
um cum Deo : & ad euidentius percipiendum ex-  
inde, quid faciendum, quidue omittendum in sin-  
gulis casibus , voluntas Dei postulet sanctissima.  
Deus enim est spiritus , & possidet omnino bonas,  
immo perfectissimas proprietates morales. Anima  
etiam humana est spiritus , & eatenus capax pro-  
prietatum eiusmodi , qua nisus iisdem contrarius  
ex voluntate per regenerationem , & inhabilitas ex  
intellectu per illuminationem ablata est. Cum igi-  
tur fidus Seruus IESU Christi proprietates diuinæ  
recte cognoscit, & , ut decet, bonas iudicat, atque  
ardentissimo studio conformat virtutes suas & intelle-  
ctuales & morales ad similitudinem sapientiæ, sancti-  
tatis, iustitiae, bonitatis & veritatis diuinæ; utiq; actu  
ipso per fidem vtitur confortio cum Deo intimo.  
Cumque Deus inuenit suum in hisce, quod con-  
formes sese ipsi sistere studeant, eodem amore, quo  
se ipsum , hos amplectitur , & placet ipsi apud e-  
osdem habitare, cum luce , vita, spiritu & virtu-  
te sua, Joh, XIV: 23. Ex hoc vinculo vnionis &  
commercii iam istud emanat, vt, quicquid ma-  
li vel boni hisce seruis IESU Christi in mundo con-  
tingit, sibi ipsi Deus illud contigisse iudicet , Esa.  
LXIII: 9. Zach. II: 8. Act. IX: 4. 5. Matth. X: 40,  
41. 42 XX.V: 35 , 36, 40. & contra , serui IESU  
Christi ista omnia participant, quæ Deo conting-  
re vident. Nam Deo ex debito laudato , & cultu-

eidem legitime exhibito, gaudio hi afficiuntur maximo, 1. Thess. II: 19, 20. Phil. II: 16 IV: 1. Ve-  
ro autem cultu ipsi denegato, & ipso contumelia quacunque adfecto, dolorem animus horum capit incredibilem, Mich. VII: 1, 2. Psal. XII: 2, 3. Et  
hoc accidit omne vi amoris reciproci, in quo con-  
fortium hocce inter Deum & homines vigeret. Præ-  
terea, & respectu virtutum intellectualium, in hoc  
commercio, totius œconomiae salutis intima indo-  
les & natura indies euadit intelligibilior, per con-  
templationem iucunditatis & excellentiæ omni-  
um attributorum diuinorum, Psal. XXXIV: 9. vt  
non modo ipsi ejusdem œconomiae verum conce-  
ptum & maxime genuinam ideam temper præsen-  
tem habere queant; verum etiam cum aliis, ex  
mente Dei, sine omni periculo erroris, commu-  
nicare possint. 1. Cor. II: 9, 10, 11, 12. Joh. XV:  
14, 15. Quanta denique incrementa virtutes eo-  
rum morales, ex hac conuersatione cum Deo, in-  
dies capiant, vt omnis earum inclinatio in splen-  
dore proprietatum Dei figatur fulgentissimo, Eph.  
III: 15 -- 19. 2. Pet. I: 3, 4 quantaque vi earundem  
virtutum radii in corda auditorum penetrerent: peri-  
culum huius rei arcanæ facturi, potius hæc & mul-  
ta alia experiendo, vti dictum, discere possunt,  
quam quis humanis valet ea describere verbis. cfr  
Joh. Gust. Reinbeck Tract. 23. Augspurg. Confess.  
Tomo sec. S. 7, 8, &c.

## SECTIO POSTERIOR.

### §. I.

**S**I quis aqua penitauerit lance deincepsam ideam servi Christi, eiusque consortium cum Deo; luculenter ipse constabit, sed um placendi hominibus minime significare blandiri, aut connuere sceleribus & erroribus peccatorum, ut eorum sibi conciliet benevolentiam. Nam contextus etiam locorum scripturæ, in fronte dissertationis allegatorum, (in quorum posteriori exstat vocabulum *a'geonem*, quod non semper & absolute, sed connotato studio & conatu significat placere, ut loca parallela Gal. I: 10, 1. Theffl. II: 4, euincunt. cfr. Celeb. Stockii Clavis N. T.) eam huius studii describit indolem, ut minime blandiendo inclinatio- nibus peccatorum, & ex iis resultantibus malis a- ctionibus, præstetur, 1. Cor. IX: 26, 27 X: 23, 24 multo minus adplausum impiorum per doctrinam querendo, 2. Cor. IV: 2. Indoles præterea servi de- scripti hoc profus & penitus negat. Nam eo ipso, quo quis hoc facit, iugum dominii Dei excutit, seque dominio satanæ subiicit, quo necessario cessat esse seruus Christi, Gal. I: 10. quippe qui studium suum promouendo regno tenebrarum tum conse- crat, Matth. XXIII: 13. Ioh. VII: 48 Matth. XV: 14 Eta. IX: 16. licet hoc fiat sub quadam larua ser- uorum IESU Christi. 2. Cor. X: 13, 14, 15,

## § II.

**P**Erspecta hac difficultate p'acendi omnibus, minime tamen, ut placeat, affectare vel querere cuiquam licet, aut dissimulando veritatem, Jer. VIII: 11. aut promittendo sibi auditoribusque suis licentiam quandam peccandi, ex rebus, ceu dicuntur, indifferentibus, 2. Pet. II: 19. aut figuraendo eorum conuersationem, aut a'io quoconque peruerso modo: siue hoc fiat propter metum percutiendum, odii, diffamie, siue aliorum incommodorum, que ex displicentia sui apud auditores emanare prouidet. Qui igitur veritatem non liberam & sinceram proferunt, sed adfectu humano pollutam & opertam; iidem exuunt indolem serui Christi, & hoc peruerso modo comparata sibi amicitia & benevolentia omnium, toti Deo displicant. Adfectum enim hunc, qui veritatem adulterat, in animo eiusmodi ministrorum excitat vel metus, intra pectus conceptus ex consideratione futurorum incommodorum; vel inordinatus ardor omnibus arridenti per res scurriles, ludicas, vanas & instantiam prodentes, nullumque aut plane exiguum usum promittentes; vel etiam carnalis zelus, praecipitanter commotus, aut callide in auditores compositus, eosdem pungendi & mordendi. Hinc etiam ira Dei in hosce seruos, qui corrumpendo, vel celando veritatem, auditores suos in inferos praecipites dederunt, grauissima apud Ezechielem describitur hisce verbis: *Fili hominis, speculatorum dedi te domui Israelis, ut audias ex ore meo verbum,* &

ad-

admoneas eos nomine meo. Quum dixerit improbo: et tu  
 moriturus es: tu autem non admonueris eum, neque allocu-  
 tus fueris debortando improbum a via eius impia, ut sero-  
 ues eum: iste improbus in sua iniustitate morietur, sed jan-  
 guinem eius e manu tua reposcam. Si autem au-  
 rta tu iustus a iustitia sua, & faciat iniuriam, me permittente  
 fieri officium coram eo, morietur ille: quum non ad-  
 monueris eum, in peccatis suis morietur, neque recordati-  
 oni erunt iusta eius opera, que se erit; sed sanguinem e-  
 ius e manu tua reposcam. Cap. III: 17. 18. 20. In  
 hisce describit Deus tam ipsum peruersum studium  
 placendi omnibus, quam ei iniunctam poenam gra-  
 viissimam. Studium istud simili a custode, aut spe-  
 culatore urbis petito depingit; cui minime licet fa-  
 uorem cuiusquam, siue neglectum agendo vigilias,  
 siue stationem deserendo suam, captare, sed per so-  
 las rationes ex munere sibi demandato iuste pro-  
 pullulantes. Hisce enim neglectis, poenae capitis  
 teste reum facit. Par ratio est custodis & specula-  
 toris ecclesie. Si enim aliter, quam indoles officii  
 eius fert, omnibus arridere studet, periculum mor-  
 tis aeternae eo ipso opere sibi maturat, Prou. XVII:  
 15. Hab. II: 1. Ezech. XXXIII: 7, 8. Custodes, aut  
 stationarii milites, quibus munus excubiarum est ad-  
 gnatum, summo præterea obligantur iure, ad ex-  
 cipiendum clamore omnes, quos vel vident, vel  
 audiunt; sint licet principes, vel ciues; vel domi-  
 ni, vel serui; vel noti, vel ignoti. Nemo enim  
 horum

horum, quoad actiones, & intentiones suas, nocturno tempore, & ex omni parte notus ipsis esse potest. Ideo debent & possunt summo iure, agentes stationem suam, omnes sine discrimine omni, indicare, si modo pœnas euitare voluerint iustas. Militibus stationariis ecclesiæ Dei, seu seruis Christi, eo grauior est hæc obligatio, quo curatius tam indoles officii ipsorum, rationem personarum habere in statione hac, plane denegat; quam lex generalis Aet. IV: 19. V: 29. Matth. X: 28. eis arctissime injungit, potius Deo, quam hominibus auscultandum & obediendum esse. Qui enim propter metum displicendi potentioribus, stationem timidius peragunt sanctam, nec veritatem ea, qua decet, libertate & parrhesia omnibus promulgant, neque summa seueritate curam animarum adeo grauem gerunt; in conspectui bonorum exponunt omnium, se destitutos esse vera indoles seruorum IESU Christi. Nam hæc est vera indoles serui Christi etiam in hoc arguento, vt facies eius obfirmata sit aduersus faciem prætractorū omnium; frons eius obfirmata aduersus frontem eorundē; similis lapidi durissimo firmiorq; rupe; vt neminem timeat neq; consternetur a facie alicuius; prout de Ezechiele Cap. III: 7, 8, 9. ipse loquitur Deus. Sermo tamen Deo hic non est de duritate impudicæ faciei, vel frontis; sed de ea, quæ consistit in confidentia de auxilio Dei firmissima, quam S. Spiritus operatur, & in i-

pfo actu immobilitatem animi ostendit , Jer. I: 8, 17.  
 Luc. XXIV: 49 Act. I: 14. VI: 8. 1. Pet. III: 13,  
 14. Et hinc iam istud evenit , vt seruus Christi o-  
 mnem veritatem intrepido animo & heroico motu  
 in lucem proferre queat, Psal. X II: 6, 7. Rom. XV:  
 18, 19. I: 5. vtque loquatur de testimoniiis Dei co-  
 ram regibus , neque erubescat, Ptal. CXIX: 45.  
 Rom. I: 16.

Verbo iam actiones , quæ dici solent indifferentes,  
 adtingere lubet , num per eas benevolentiam omni-  
 um ministro ecclesiæ querere conueniat. Constat  
 autem inter omnes , ministro ecclesiæ incumbere ,  
 vt primum ipse etiam eas actiones , quæ quoad spe-  
 cialem obligationem indifferentes quidem sunt, quia  
 nulla lex easdem speciatim prohibet; secundum ob-  
 ligationem tamen generalem vel bonas, vel malas  
 iudicet; ideoque omnia cogitata , dicta & facta sua ,  
 ad certos fines, gloriam scilicet Dei, & aedificatio-  
 nem auditorum dirigat , Col. III: 17, 23, 24, 25. 1.  
 Cor. X: 23. Deinde vt de harum actionum indole  
 auditores suos rite erudiendos improbo curet labo-  
 re , eosque incitet , vi eiusdem generalis obligatio-  
 nis ad imitandum exemplum tuum , 1. Cor. XI: 1.  
 Vnde patet luculentissime , seruo Christi minime  
 licitum esse , exempli gratia , vel sub larua poculi  
 hilaritatis connuere bibacibus , eoque sibi & eis con-  
 demnationem æternam muturare , Gal. V: 21. quam  
 ob causam vult Apostolus , vt episcopus non sit

qui vino adsideat, 1. Tim. III: 3. vel etiam  
 in aliis eiusmodi rebus ad nutum & voluntatem  
 eorum se totum conuertere, qui in iocis, rito,  
 coniuiciis, saltationibus &c. nullum tenere modum,  
 multo minus finem eorum considerare volunt; sed  
 ex isdem licentiam arripiunt exercendi omnia ma-  
 la, ut licita, Eph. V: 4. Matth. XII: 36. Rom. VIII:  
 5, 7, 9. 1. Pet. I: 18. 2 Thess. III: 6, 11. Ille demum  
 Deo acceptus, hominibusque probatus est, qui in  
 interioribus regni Dei intemeratum Christo mini-  
 sterium præstat, & simul extenorū vium per ca-  
 ritatem ad communem ædificationem convertit  
 Rom. XIV: 17, 18, 19. Quid denique sentiendum sit  
 de studio placendi omnibus per euitationem pri-  
 uatae conuersationis auditorum, ne displicentia mu-  
 tua in eadem suboriatur, vel ipsa res docet, id  
 minime indoli serui Christi, vel familiaritati eius  
 cum Deo, consentaneum esse. Fugiens enim con-  
 uersationem auditorum, negligit summe necessari-  
 am partem officii sui, qua eorum inclinationes,  
 indequæ erumpentes malas actiones & molitiones,  
 ex omni parte sibi notissimas reddere debet. Hac  
 parte officii neglecta, ministri adsumandi sunt  
 canibus mutis, qui non posunt latrare, id est,  
 fontes prævaricationum auditorum suorum profun-  
 diffissimos effodere, vel eorum perniciem indicare,  
 multo minus impedire, quin pernicioſissimum eo-  
 rum venenum erumpat, & late diffundatur, Esa.

LVI; 10. Præterea totus hic conatus videtur inuoluere studium parcendi assiduis , sibi iniunctis laboribus , & delerendi stationem vigiliarum ecclesiæ Dei. Vnde euenit , vt , eiusmodi seruis iacentibus & dormituri entibus , Et. LVI; 10. libera , plana & adeo commoda peccatis quibusuis grassandi concedatur facultas , vt diabolus tere totam ecclesiam igne scandalorum incendere , multasque animas deuorare possit , 1. Pet. V: 8. Oportet itaque seruos Christi non dormiendo amicitiam sibi aliorum comparare ; sed fistendo se eiusmodi custodes , qui nec die , nec nocte vnquam tacent , donec disponant Hierosolymam , & donec eam fistant laudem terræ , Et. LXII; 6, 7. Act. XX: 7. 2. Pet. I: 12, 13, 14. Habemus igitur negatiue delineatum studium placendi omnibus , qui enim per hasce vel alias perversas rationes omnibus placent , eorum tabulæ conscientiæ ipse Saluator signum vœ abominationis imprimit , & quasi insculpit atque inurit Luc. VI: 26, dicens : vœ vobis , cum bene vobis dixerint omnes homines ; nam itidem fecerunt pseudoprophetis patres eorum.

§. III.

**S**tudium itaque placendi omnibus in eo consistit , ut Seruus Christi , ex mente Dei , accommodet se ad statum captumque omnium auditorum suorum ; non saltans docendo 2. Tim. II: 15. sed etiam conuersando cum iis 1. Cor. IX: 19-23. quod magis hic sub considerationem cadit. Summa namque huius studii , vt dictum , ea manet , vt seruus

seruus Christi prudentia spirituali rite instructus, suam conuerandi rationem eam constituat, quæ vestigia Domini Iui |Esu Christi haud obscura exprimat, omnesque conuincat, ipsum sequentes, Christum sequi, 1. Cor. XI: 1. quo etiam apud omnes desiderium incendat, in exemplum suum eundi, eaque faciendi & omittendi, quæ ipsum vel facere, vel omittere vident. Nam hæc conuersandi ratio, præsentium & bonorum & malorum ob oculos ponit, eo conatus, dicta & facta eius tendere omnia, vt non suam, sed aliorum quærat utilitatem, suo licet sæpe incommodo, 1. Cor. IX: 19. Phil. I: 8. vtque sine scandalo omni se dignum seruum IEsu Christo exhibeat, 1. Cor. X: 32, 33. Hoc itaque studio rite adhibito, omnibus, quibus ipse Christus placet, placebit etiam seruus eius fidissimus, 1. Cor. IV: 2. Hæc enim eiusmodi conuersatio, cum verbi prædicatione coniunctim considerata, animos hominum archius conuincit, vberioresque in Christianismo fructus edit, quam sola prædicatio, cui ratio conuersandi ministrorum contradicit, separatim valet. Et hoc est, quod Josephus Binghamus in antiquitatibus ecclesiasticis, ex primæuæ ecclesiæ ministrorum iusta conuersatione concludit pag. 429 §. 4. quam voluminis eiusdem secundi Libro VI. Cap. II. describit. Et pag. 438. ibidem §. 9. ostendit hanc conuersationem fuisse hominibus non tantum intra eccliam Christianam constitutis, sed etiam gentibus argu-

argumentum, quo incitabantur ad insistendum vestigiis clericorum. Speciatim ex oratione Juliani imperatoris, in eadem §. recitata sumit argumentum mouens, ad hodierni cleri emulationem prouocandam, quod hic exprimere iuuat: *Ex hac Juliani oratione, inquit, euidenter constare puto quod ipse obseruauerit, quantum leges & mores ad incrementum existimationis atque auctoritatis Christianorum clericorum, & Christianae religionis per hosce contulerint: & quod idcirco similes regulas ac disciplinam inter idolorum flamines introducere, multasque alias gentilium consuetudinum mutationes facere instituerit; iniisio Christianae religionis ritibus ac consuetudinibus emulatus, quemadmodum Gregorio Nazianzeno, & Sozomeno hoc obseruantur, qui emendationes, quas intenderint, per singulas partes commemorant. Cuius rei nuda narratio, ni fallor, concitata nostri prouocatio est, ut saltem tantum studii adhibeamus, quantum adhibuit Julianus, ad proponendum nobis tales primitiorum clericorum excellentias, quas imitatione nostra exprimere valeamus. Hoc argumentum est, quo in re simili usus est Apostolus: Ego ad emulationem prouocabo vos per gentem intelligentie expertem, ad iram vos prouocabo, Rom. X: 19. Non possum, quin dicam, tristissimam considerationis materialiam homini futuram, si olim gentilis cuiusdam apostatae zelum in iudicio contra se consurgere, seque condemnare deprehenderit. Quanta autem prudentia, mansuetudine & diligentia horum clericorum conuersatio instituta fuerit, qua se actionesque suas omnibus*

bus commendarunt, idem auctor pag. 360. §: 6.  
 eiusdem Il:di voluminis ostendit, breuiter confrin-  
 gens totam conuerlandi rationem in exemplo ma-  
 gni illius Athanasii, de quo, obseruante Nazianze-  
 no, narrat: *Silicet, eum fuisse tanquam riuam imagi-  
 nem huius mirifice prudentiae conuerandi cum omnibus, ac  
 dexteritatis in agendo cum hominibus pro temperamento-  
 rum diuersitate, & in eadem semper studia incubuisse,  
 varia autem usum fuisse methodo: alios laudibus eue-  
 bens, alios parce leuiterque feriens: aliorum socordi-  
 am excitans, aliorum feruorem reprimens: aliis, ne  
 laberentur prouidens, aliorum, ut lapsi erigerentur, ratio-  
 nem iniens: moribus simplex, gubernandi arte multiplex:  
 verbis sapiens, animo sapientior: si cum humilioribus ipse  
 res fuerit, ad eorum captum se demittens: si cum subli-  
 miori mente preditis, altius adsurgens: Hospitum preses,  
 supplex, malorum depulsor, unus rniuersa ea complexus,  
 que sigillatim diis suis gentiles tribuebant. &c.*

## § IV.

**H**ac conuersandi ratione videbimus, fidum seruum Christi  
 si se gratum acceptumque reddere, sine molesta molitio-  
 ne, omribus veris Christianis, aut regenitis, demonstran-  
 do congruentiam & amicam conspirationem moralium propri-  
 etatum suarum cum proprietatibus ipsorum. Cum enim  
 minister verus ecclesiæ in conuersatione cum fidelib-  
 us, sincere spargit ex se radios virtutum moralium  
 & intellecualium suarum; curaque præsentes  
 pii, in animis suis conuicti, eosdem per gratiam

illu-

illuminantem & regenerantem in facultatibus animæ eius incensos, & per gratiam inhabitantem conseruatos, atque in usum legitimum directos esse percipiunt; utique delectationem in inclinationibus, & factis eius reperiunt singularem. Nam in corde eorum nulla latet repugnantia, quæ proprietates hanc auersari, vel fastidium earum mouere possit; quippe quæ per regenerationem ablata est. Fundamentum enim huius *ἀποκέιμενος* est illa intima communio fidelium, veraque & reciproca *φιλαδέλφia*, quæ emanat ex unione eorum cum Deo, 1. Joh. I: 3, 6, 7. 1. Cor. XII: 12. 2. Pet. I: 7. & consistit in congruentia & intima harmonia inclinationum & actionum eorum, ab uno eodemque spiritu directarum ad promouendam mutuam salutem, Eph. IV: 15, 16. Quo arctius igitur hoc vinculum communionis est inter fideles, eo maiori iucunditate etiam conuersatio veri serui Christi se iisdem commendabit. Præterea cum fideles considerant, qualis hic seruus sit ratione officii sui coram Deo, & quid ei vi obligationis eiusdem cum Deo quotidie intercedat: abundantiorem utique hæc consideratio voluptatem in corde illorum operabitur, vt eum, ceu patrem, præ ceteris omnibus, non solum amore suo iudicent dignissimum, 1. Theff. V: 13. 1. Cor. IV: 14, 15. sed etiam honorem, ipsi a Deo destinatum, lubentes praestent, Phil. II: 29. Ebr. XIII: 7, 17. 1. Tim. V: 17.

**R**espectu autem impiorum & irregenitorum, eo cumpri-  
mis hoc studium est dirigidum, ut seruus Christi,  
verbis & factis, claros & perpicuos conceptus de sinceri-  
tate animi, voluntatis, inclinationum, & inde resultanti-  
um actionum suarum, illis praebat; & simul ostendat has  
proprietas in eo solum versari, ut eorum omnium pro-  
prietates ad harmoniam & amicam conspirationem cum suo  
is redigat: hoc est, ut demum ipse illis, ceu verus Chri-  
sti seruus, & illi ipsis, ceu vinculo unionis fidelium adae-  
nanti, semper placeant, Phil. 1: 8. ubi quanta sit vis repu-  
gnantie, ipse mature experitur. Periculum itaque hu-  
ius studii placendi irregenitis, sana tamen ratione  
praeditis, fakturus seruus Christi; nullo alio modo  
se hoc iuste consequi posse perspicit, quam per re-  
præsentationes & demonstrationes, quibus animos  
de prauitate proprietatum ipsorum, & de suarum  
bonitate intime conuincat. Indoles enim Christiani-  
smi hunc requirit elenchum, qui non verborum  
aut rerum violentia cogat & obruat, sed rationum  
evidentia & pondere moueat & inclinet animum.  
Hoc igitur opus assiduus quidem urget; verum ir-  
regeniti plerumque hisce rebus propositis acquiesce-  
re nequeunt, suumque animum, voluntatem, in-  
clinationes & exinde emanantes actiones ad simili-  
tudinem moralium proprietatum servi Christi con-  
formare nolunt; quippe qui aduersus easdem re-  
pugnantiam & refractionem in sinu suo gestant  
ma-

maximam. Dum hæc facies qualitatum apud irregenitos oculis serui Christi obuersatur, oleum & operam in studio illis placendi ut plurimum se perdere intelliget. Sap. II: 12, 13. Res enim, quæ amice mutuo secum conspirabunt, nullis in contradictoriis inter se esse debent: calidum cum frigido nullam agnoscit communionem, nec lux cum tenebris, 2. Cor. VI 14. nec graue mixturam cum leuiori patitur. Eandem etiam conditionem & qualitatem animis humanis S. Scriptura adscribit, quorum inclinationes, per repugnantiam mutuam spirituum, in cordibus eorum habitantium, sibi inuidem aduersantur, Amos III: 3. 2. Cor. VI: 14, 15, 16. 1. Sam. V: 1, 2. &c. Ex hac impossibilitate placandi irregenitis per omnia, elucet indicium & character veri serui Christi: repugnantia enim ista & dissonantia, quæ ipsi cum illis intercedit, testatur illum cum operibus tenebrarum nullum habere consortium, ideoque omnibus earundem mancipiis esse ingratum, molestum atque odiosum cum dictis factisque suis omnibus, Joh. XV: 19. XVII: 14. 2. Cor. VI: 8, 9, 10. cfr. Johannis Gust. Reinbeck XXXIII. Tract. in Augspurg. Confessionem Tom. 2. §. 10.

### §. VI.

**C**um igitur seruus Christi hoc modo impossibilitatem placandi impiis & irregenitis, manente repugnantia inclinationum reciproca, perspicit; videt utique omne studium

sum die nocteque eo conferendam, viresque suas in eo consumendas esse, ut per gratiam regenerantem hec aduersitas ex cordibus illorum auferatur. Et omnes in unionem cum Deo redigantur. Cuius effectus erit communio fidelium, seu amica conuenientia inclinationum, que tandem absoluat gratiam & benevolentiam, quam inuenit apud omnes. Si enim Christus, dominus seruui huius augustinissimus, sanguini suo non pepertit, ut sibi, Patrique suo omnes conciliaret; quanto minus seruum eius oportebit vñquam parcere sudori, vel labori, quo minus omni nisu finem, sanguine hocce effuso intentum, vndique, & ex omni parte, adsequi studeat, prout munus sibi concreditum postulat, Rom. XII: 7, 11. Si Christus adeo temporibus inseruit, ut nullam omittaret oportunitatem docendi, siue illam nactus fuerit in naui, siue in monte, siue in templo; sed omnibus locis arriperet occasionem rostra, ut ita dicam, adscendendi sacra; iusto etiam iure Paulus obligat omnes seruos eius quam diligentissime ad fugiendaria omnem tarditatem & desidiam, singulis datis occasionibus, 2. Tim. IV: 2. Sæpe enim eum finem ministerii sui fidus Christi seruus obtinet per assiduas admonitiones in priuatissimis conuersationibus cum impiis, quem in publicis conuentibus nec ea, qua oportet, ratione quererere, nedum adsequi potest, ut exemplo Davidis & prophetæ Nathan docemur, 2. Sam. XII: Cap. quippe in qua priuata couersatione facultas ipsi

psi datur ex omni parte ampla , inclinationes, animique eorum affectus omnes , licet magno cum studio & prudentiae regularum sedula obseruatione, reddendi sibi quam notissimos; demonstrando eorum prauitatem intimam, tangendo vlcera, in cordibus eorum latitantia, lancea Spiritus. Et tandem ægritudine animæ ipsis intime innotescente, nouam nanciscitur opportunitatem, saniem eorum acerbitate legis expurgandi, demumque medicamentis, quibus par est, eadem sanandi. Ut hoc pacto seruus Christi sistat se illis non tantum expertissimum indefessumque medicum, qui remedia recte ægrotis applicat, aut recte fecat verbum veritatis, 2 Tim. II: 15, sed simul etiam patrem, commiseratione eorum intire flagrantem, 1. Thess. II: 11. Phil. I: 8. Hinc etiam Sacra Scriptura tam necessariam priuatam , quam publicam agnoscit informationem, Act. XX: 20, 26, 27. Quanta autem præterea in hac priuata conuersatione, cum fructu & ex mente Dei, instituenda, requiratur diligentia , animi applicatio a Spiritu sapientissimo directa, cum æuali mansuetudine, ingenii dexteritate, & vitae integritate coniuncta , Paulus etiam in litteris suis passim suo docet exemplo, vt 1 Thess. II: 9, 10, 11, 12. 1 Cor. IX: 19, 20, 21, 22, 27. 2 Tim. IV: 2, II: 24, 25. 2 Cor. VI: 3, 4 &c. Si igitur seruus Christi communionem & studium omnium Deo & sibi vindicare voluerit, vt debet ; curæ cordique semper ipsi erit,

erit, vt exemplo Pauli priuatim & publice, omnibusque rationibus admoneat quosuis, doceatque quosuis in omni sapientia, vt tandem exhibeat omnem hominem perfectum in Christo IESU, Col. I: 28. vt homines rite eruditos de tota cœconomia salutis, & aptos ad omne bonum opus, domino suo IESU Christo fistat, Col. II: 2. 12. III: 16. 1 Cor. II: 6. Eph. IV: 11, 12, 13. Hæc enim est indoles & natura officii eius, vt decertans secundum vim efficacem Dei, in ipso potenter agentem, hæc talia enitatur, Col. I: 29. Hoc etiam postulat eius cum Deo conuersatio, quam in caritate reciproca possidet: nam hæc constringit, detinet atque coangustat eum, 2 Cor. V: 14. vt non possit, quin ardentissimo amore, non vulgari, sed eo, qui sollet esse inter nouos nuptos, ceu zelo divino flagret, eripiendi omnes irregenitos & impios e regno tenebrarum, & collocandi eos in regno domini IESU Christi, aut despondendi atque exhibendi eos omnes, ceu virgines castas, viro Christo, 2 Cor. XI: 2. Præterea obligat hæc, vt omni nisu, ceu amicus sponsi, Joh. III: 29. impedire studeat, ne sponsa eius vlo modo pudicitiam suam vnquam prostituat, & ream æterni repudii fese faciat. Hanc perfectionem & castitatem si seruus Christi omnibus vindicare valeat, habet ipso actu, quod vult, nimirum vt placeat omnibus iustissime. Castitas enim hæc & perfectio consistit in præstantissimo fidei

dei fructu , caritate , quæ est vinculum perfectionis , Col. III: 14. conglutinat omnes cum Christo , Eph. IV: 15, 16. & adunit fideles inter se , auferendo mutuam repugnantiam omnem animorum , voluntatis & inclinationum , & stabiliendo mutuum eorum contentum & conpirationem , Phil. II: 1, 2. 2 Cor. XIII: 11. Si autem frustra in hoc studio vires consumulerit suas ; est tamen & manet ipse gloriatus in oculis Dei , animamque saluat suam , Ezech. III: 19, 21.

### §. VII.

**Q**uo denique pacto seruus Christi iuste placere queat constitutis in astu tentationum , cum morbis & morte pugnantibus , captiuis ob delicta quævis in carne em connectis , seductoribus & seductis , verbo tetigisse sufficiat . Cum igitur hi omnes vel in statu gratiæ , vel iræ , vel etiam in agone pœnitentiæ seu primæ conuersionis constituti sint , eandem seruus Christi insistere debet viam , quam indoles officii eius ipsi sternit in nisu placendi aliis vel regenitis , vel irregenitis , vel in lucta primæ conuersionis constitutis , nec ab ea vñquam decedendum . Si vero quo decet iudicio horum omnium perpenderit statum , facile videbit , animas eoruadem longe maiori in periculo esse , quam aliorum . Hinc eo grauior & difficilior est obligatio , curandi conditionem harum animarum grauissimam , quod & Deus ideo speciatum

ā im vrget; 2. Cor. I: 4. Matth. XXV: 40. Ebr. XIII: 3. Jac. V: 19, 20. Ezech. XXXIV: 4 15, 16. Joh. X: 12, 13. Zach. XI: 16, 17. cfr. v. 8, 9. Seruus itaque Christi si viderit auditores suos in æstu tentationum, morborum, mortis, vel in captiuitate constitutos esse, ostium sibi a Deo apertum esse iudicet, libere & cum fructu impios docendi, & sistendi eos Deo & sibi placentes, 2 Cor. II: 12. Col. IV: 3. Act. XIV: 27. Per eiusmodi enim calamitates, saepe solet Deus impedimenta & obstacula quævis, ex cordibus prætractorum remouere, & auferre repugnantiam inclinationum, easque dirige-re ad audiendum verbum suum cum desiderio, & ad quærendā salutem, quam seruus Christi ex mente Dei ipsis proponit Job XXXIII: 15 - 30. Psal CVII: 17, 18, 19, 20. Esa. XXVI: 16. XXVIII: 19. Hanc igitur opportunitatem, seu occasionem commodam, quam Deus iustas ob causas subministrat, seruus Christi audiflisse amplectetur, nec eam prætermittet, quin animas diligentia & prudentia, qua par est, Deo lucretur. Quanta demum requiratur industria & prouida circumspectio in studio placendi sedu-citoribus & seductis, qui vel vita, vel doctrina ve-ritatí contradicunt, indeoles rei indicat. Intra li-mites officii hic rite manendum, ne id, quod foro competit ciuili, sibi arroget seruus Christi, vel su-as ad forum politicorum temere transmittat partes, quo se tum Deo tum hisce omnibus iniuisum atque odio-

odiosum exhibet. Debitum autem ministri respe-  
ctu horum est, ut fide iter & tenaciter adhæreat fi-  
deli sermoni, qui ad doctrinam facit, & sit potens  
doctrina sana contradicentes conuincere, Tit. I: 9.  
Ministrum itaque oportet esse potentem, rationi-  
bus idoneis & sufficientibus ad omnes conuincen-  
dum, qui vel doctrina, vel moribus veritati con-  
tradicunt. Tota enim religio Christiana non nisi  
caritatem & mansuetudinem spirat. Si igitur mi-  
nister hoc debitum suum neglexerit, & per animi  
impotentiam ab excandescientia, minarum fulmine,  
& verborum contumelia se non continuerit, aut sta-  
tim, ne obseruatis quidem gradibus admonitionum,  
Matth. XVIII: 15, 16, 17, 18. totam rem deciden-  
dam magistratui politico tradiderit: eo ipso non  
solum habitum serui Christi, sed etiam veri Chri-  
stiani exuit, proditque spiritum crudelitatis; qui  
a Christo non est, Luc. IX: 54, 55, 56. Gladius  
enim, quo Christus & verus eius seruus pro veri-  
tate pugnant, non ad femur pendet, sed ex ore  
iporum exit, neque est felle adfectus carnalis tin-  
ctus, Apoc. I: 16. XIX: 15. Hinc expedit indolem  
errorum omnium coram seductoribus & seductis i-  
psis summa cum diligentia & candore priuatim non  
tantum detegere, & in apertum proferre, atque  
argumentis validis eosdem de falsitate, & pernici-  
osissimis horum errorum suorum fructibus conuin-  
cere, eorumque os iisdem obturare; sed etiam ni-  
ti,

ti, ut reapse in viam omnes reducantur rectam. Quo effectui dato, placebit & ipse, & opus eius, tum Deo, tum hisce omnibus. Si vero contumaciores ipsi obuenerint seductores & seducti, qui argumenta nec agnoscere, neque verbis vel factis suis a fœdando ecclesiam desistere volunt; sed veritati, licet de ea conuicti, modis quibusuis malitiose & contumeliose oblistere pergit sine spe emendationis: eosdem ad magistratum politicum ablegare fas est, penes quem est facultas turbatores publicæ tranquillitatis coercendi. Dexteritas autem veri serui Christi, quantum in hoc studio ante efficere possit, quam hæc ultima experiatur, efficacia verbi Dei, 1 Cor. II: 4. 2 Cor. VI: 7. Eph. VI: 7 .. 10. & experimenta per ministros primævæ ecclesiæ facta indicant. vide Jof. Bingham antiquit. eccl. Lib. VI. Cap. XXI: §. 9, 10. pag. 373. Specialiora huius argumenti nobilissimi, pro temporis angustia, adferre ex debito non licet. Hisce igitur paucissimis, bone Lector, contenti simus, adeamusque experientiam, magistram etiam huius rei optimam, quæ, dirigente nos Deo per Spiritum suum, huic defectui nostro vberatem succedere iubebit plenissimam; ut tandem probati in Christo Rom. XVI: 10. rite sciamus, quid cum fructu faciendum, quidue sit omissendum.

S. D. G.